



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus theologici iuxta scholasticam huius temporis
Societatis Jesu methodum tomus ...**

Amico, Francesco

Duaci, 1640

III. Quodna[m] sit munus spirationis actiuæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82000)

ternitas connotat filiationem, spiratio verò actiua spirationem passiuam. Propter quam diuersam connotationem terminorum nequit vna in abstracto prædicari de altera, sicut potest vna perfectio absoluta de alia etiam in abstracto enunciari; rectè enim dicitur: Sapientia diuina est bonitas; & vice versa. Quia hæ rationes, cum sint ad se, nullum connotant terminum diuersum. Ob eandem rationem nequit generatio prædicari de spiratione, aut actus generandi de voluntate, vel actus spirandi de intellectu; quia per huiusmodi actus connotantur diuersi termini, & principia proximè ad actum concurrentia.

59. Ad argumenta secundæ sententiæ. Ad primum nego consequentiam: ad cuius probationem dico, paternitatem communicari secundum vnā rationem, non communicari secundum aliam, virtualiter tantum distinctam: sicut natura diuina, vt absoluta communicatur, vt respectiua non communicatur; ad hoc enim sufficit virtualis distinctio vnus rationis ab alia. Ad secundum nego sequelam, vt constet ex responsione ad vndecimum. Ad tertium nego antecedens.

SECTIO III.

Quodnam sit munus spirationis actiue?

60. **Q**uadruplex potest esse munus spirationis actiue. Primum constituere personam. Secundum complere virtutem spiratiuam. Tertium actiue originare terminum spirabilem. Quartum referre principium spiratiuum ad oppositam correlationem spirationis passiuæ. Hæc enim omnia exercet paternitas in Patre; nam constituit personam; complet vim generatiuam; actiue originat terminum generabilem; & formaliter refert principium generatiuum ad oppositam relationem filiationis. Controversia igitur est, quodnam munus ex his conueniat spirationi actiue.

61. Notandum autem est, quod qui spirationi actiue tribuit munus constituendi personam, consequenter etiam illi tribuit munus complendi virtutem originandi personam, & simul referendi subiectum ad oppositum terminum; quia cum hæc relatio sit in persona producente, si illam constituit in ratione personæ, simul etiam complet in virtute spirandi, originandi, & referendi ad terminum productum. Item qui ei tribuit munus complendi virtutem, simul etiam tribuit munus originandi, & referendi: quique tribuit munus originandi, simul ei tribuit & munus referendi. Contrà verò, qui illi tribuit solum munus referendi, eo ipso illi negat reliqua munia superiora, eo quod munus

superius includit inferius, non contrà. His adnotatis,

62. PRIMA sententia docet, spirationem actiuam constituere personam Patris & Filij. Est Aureoli in 1. distinct. 11. art. 3. propos. 1. 2. & 3. & distinct. 12. quest. 1. & distinct. 13. art. 4. Fundamentum est, nam aliàs spiratio actiua accideret personæ Patris & Filij; quidquid enim essentiam, vel personam non constituit, accidit personæ: nam omnis substantialis constitutio aut est naturæ, aut personæ: atqui spiratio actiua non constituit naturam, cum non sit perfectio absoluta; ergo si nec constituit personam, erit accidens personæ. Confirmatur. Non minoris efficacis est spiratio actiua, quàm passiuæ; atqui passiuæ personam constituit; ergo & actiua.

63. SECUNDA sententia affirmat, spirationem actiuam solum referre personam Patris & Filij ad Spiritum Sanctum sub ratione Spiratoris. Est Henrici in summa artic. 60. quest. 5. Egidij in 1. dist. 11. artic. 2. quest. 2. in fine corp. & quest. 3. Zumel 1. p. quest. 36. artic. 4. disput. 2. Suarez lib. 5. de Trinit. cap. 6. & lib. 10. cap. 4. Probat 1. Idem est immediatum principium productionum per intellectum, & per voluntatem: ergo si Pater sola paternitate constitutus generat, sola paternitate constitutus spirat. Consequentia pater. Antecedens probatur, quia Amor procedit ex notitia obiecti amati: ergo idem est amans, qui intelligens. Ergo idem spirat amando, qui generat intelligendo. Id ipsum constat de Filio, qui vt supponitur prior origine productioni per voluntatem, per solam filiationem habet, quidquid requiritur ad spirandum.

64. Secundò. Tota vis spirandi est voluntas, relatio est sola conditio distinguens tantum personam spirantem à termino spirabili. Sed paternitas & filiatio sufficienter distinguunt personam spirantem à termino spirabili: Ergo spiratio actiua est purus respectus consequens ad productionem personæ spiratæ. Consequentia patet, nam quidquid requiritur per modum principij, vel originis ad spirandum, totum id præstat voluntas personæ distincta à termino spirabili: ergo spiratio actiua non requiritur, nisi vt purus respectus, & formalis referentia ad terminum.

65. Confirmatur. Nam ex quo tota vis producendi est natura, ea semel per aliquam relationem determinata ad personam, sit sufficienter productiua cuiuscunque actionis possibilis. Ex quo colligunt, spirationem actiuam non recipi immediatè in natura, sed in patre & filio, non quatenus sunt vnum, sed quatenus sunt plures: quia cum hæc relatio non habeat nisi referre, & referri in Deo non possit nisi persona, immediatè recipi debet in persona Patris & Filij, quos tantum refert ad terminum spiratum; ad cuius productionem resultat, censeturque aduenire Patri & Filio perfectè constitutis, in virtute spirandi, tanquàm purus respectus ad terminum spiratū.

Aureolus.

Henricus.
Egidius.
Zumel.
Suarez.

Richardus.
Scotus.
Rubio.
Capreolus.
Ochamus.
Gabriel.
Argentius.
Vasquez.
Molina.
Zuniga.
S. Thomas.
Syluius.

66. TERTIA sententia asserit, spirationem actiuam constituere potentiam spirandi. Est Richardi in 1. distinct. 11. quæst. 3. & 4. Scoti distinct. 12. quæst. 1. ad 3. in fine, Rubionis quæst. 1. Capreoli conclus. 4. & ad 5. Henrici, & ad 2. confirmat. Scoti, Ochami quæst. 1. Gabrielis q. 1. Argentini distinct. 7. art. 1. ad 3. circa finem & distinct. 11. artic. 2. Vasquez disput. 164. cap. 3. Molinæ quæst. 36. artic. 4. disput. 2. §. *quo loco*, & ad 3. Zunigæ de Trinit. disputat. decima sexta, dubio sexto. Quæ mihi probabilior est: eamque aperte docet S. Thomas q. 36. a. 4. ad 1. Syluius ibid. Vbi docet, vim spiratiuam, à qua procedit Spiritus Sanctus, constitui ex natura & proprietate Patri Filioque communi; igitur spiratio actiua in sententia S. Thomæ prærequiritur per modum principij ad productionem Spiritus Sancti.

67. Fundamentum est, quia spiratio actiua non potest personas constituere: nec constitutas solum referre; ergo necessariò constituit virtutem spirandi. Consequentia constat, à sufficiente munerum enumeratione; nam licet possit tantum originare, origo tamen actiua spirandi necessariò supponit proprietatem spiratiuam, ratione diuersam à paternitate & filiatione, ut infra constabit. Antecedens probatur quoad primam partem. Nam vel spiratio actiua constituit personam à patre & Filio diuersam, vel ipsammet personas Patris & Filij. Primum est hæreticum; de fide namque est, in Deo tres tantum esse personas. Secundum repugnat proprietati personali, de cuius ratione est incommunicabilitas: Est enim personalitas teste Ioanne Latino in Concilio Florentino sess. 19. post medium, §. *legatur ergo liber*, intellectualis naturæ incommunicabilis substantia. Implicat igitur spirationem actiuam constituere personas Patris & Filij, & esse illis communem.

68. Probatur antecedens quoad secundam partem. Nam si spiratio actiua non constitueret virtutem spirandi, sed tantum referret personas spirantes ad terminum spiratum, sequeretur primò originem actiuam generandi distingui realiter ab origine actiua spirandi, contra omnes ferè Doctores, & aduersarios ipsos, ut in præcedente disputatione, sectione tertia vidimus. Sequelam probo, etenim si spiratio actiua est tantum relatio consequens ad originem actiuam spirandi: igitur origo actiua spirandi est à voluntate diuina, ut immediatè determinata paternitate & filiatione: & consequenter, quatenus origo actiua est, supra actum essentialem volitionis addit paternitatem & filiationem; quia id addit supra actum essentialem actiua origo in Deo, quod supra actum essentialem immediatè addit proximum producens: nam origo actiua, & principium proximè producens in Deo sunt idem. Atqui per aduersarios proximum principium spiratiuum supra volitionem essentialem immediatè addit solam paternitatem

& filiationem; igitur distinguitur realiter ab origine actiua generandi. Consequentia patet, nam generatio actiua includit solam paternitatem, origo verò spiratiua simul cum paternitate includit etiam filiationem: sed paternitas distinguitur realiter à paternitate & filiatione, ut inclusum ab includente: ergo & ipsa origo generationis ab origine spirationis. Hoc autem non sequitur ex nostra sententia, in qua actiua generatio superaddit intellecti paternitatem: actiua verò spiratio superaddit volitioni proprietatem spirandi, quæ quia non distinguitur à paternitate & filiatione, neque origo ipsa spirandi distinguitur ab origine generandi.

69. Sequeretur secundo, si potentia spiratiua immediatè compleretur à paternitate & filiatione, illam non esse integram in solo Patre, aut in solo Filio, sed in utroque simul. Consequens est absurdum: nam aliàs Pater non haberet à se quidquid requiritur ad spirandum, sed compleretur, per vim spiratiuam existentem in Filio: sequela maioris probatur, quia sicut in patre non est filiatio, nec in filio paternitas: ita in neutro esset integra vis spirandi, quæ per utramque relationem formaliter completur in opposita sententia.

70. Sequeretur tertio, spirationem actiuam esse in Deo accidens metaphysicum, consequens est absurdum; alioqui daretur in Deo metaphysica compositio ex subiecto & accidente, quæ purissimo actui repugnat. Sequelam probo, nam quidquid est extra totius naturæ personarumque constitutionem, accidit personæ: huiusmodi est spiratio actiua in sententia aduersariorum, nam illa nec constituit naturam, nec personas, sed eas tantum refert perfectè constitutas.

71. DICERES. Non esse accidens, quia licet de facto personas non constituat, apta tamen est illas constituere: unde, si eas non reperiret constitutas, de facto constitueret. Confirmatur, quia si prius origine Pater spiraret Spiritum Sanctum, quàm Verbum gigneret, in eo casu spiratio actiua constitueret personam Patris, quia non posset spirare, nisi præsupponeretur constitutus in ratione personæ: atqui in eo casu non posset supponi constitutus personaliter, nisi per spirationem actiuam, nam relatio paternitatis in eo casu foret communis Filio; non secus ac nunc est communis illi spiratio actiua. Ergo spiratio actiua de se est apta constituere personas.

72. Sed contrà, tum quia hoc non probat, quòd de facto non sit accidens, sed quòd non esset, si personam constitueret. Nam quamdiu aliqua ratio non ingreditur personalem constitutionem suppositi, actu manet extra personalem constitutionem ipsius, atque adò manet accidens ipsius. Nam sicut ratio constitutiua non dicitur accidens suppositi, ex eo, quòd posset actu non constituere, si reperiret constitutum: ita è conuerso nec ratio non

con-

constituens, dicitur essentialis ex eo, quod constitueret, si non reperiret constitutum. Quia ratio accidentalis, vel essentialis desumenda non est ex eo, quod esset, sed ex eo, quod est talis. Tum quia implicat, ut spiratio actiua constituat personam. Nam de ratione constituentis personam est incommunicabilitas: spiratio autem actiua est essentialiter communicabilis.

73. Ad Confirmationem nego in eo casu, spirationem actiuam fore eiusdem rationis ac nunc est. Vnde nil mirum, si tunc Patris personam constitueret, quam non constituit nunc, sicut diuersæ rationis foret tunc paternitas, ac nunc est; & propterea nunc constituit personam patris, quam non constitueret tunc. Ratio verò diuersitatis esset, quia tunc spiratio actiua non esset tantum virtus producendi, sed etiam hypostatica forma: quam perfectionem haberet hoc ipso, quod esset prima proprietas relatiua afficiens naturam diuinam. Contra verò, quia tunc paternitas foret sola virtus generandi Verbum vnà cum Spiritu sancto, qui tunc simul cum Patre concurreret per eandem intellectionem sibi à Patre communicatam ad gignendum Verbum, non esset proprietas constitutiua primæ personæ, quia non esset prima proprietas relatiua afficiens naturam diuinam, cum supponeret aliam proprietatem relatiuam afficientem naturam diuinam, & determinantem illam ad rationem primæ personæ, nempe ipsam spirationem actiuam, quæ in eo casu præcederet relationem paternitatis.

74. Quartò probatur hæc sententia à priori. Quoniam in diuinis non solum debet esse distinctio inter suppositum produciens, & suppositum productum, sed etiam inter potentiam proximè productiuam & terminum producibilem. Igitur Pater & Filius non solum distinguuntur à Spiritu sancto, ut suppositum produciens à supposito productum, sed etiam ut principium proximè spiratiuum à termino spirabili. Nequit autem Pater & Filius in ratione principij proximè spiratiui distinguuntur à termino spirabili per paternitatem & filiationem; ergo per communem notionem, quæ dicitur spiratio actiua: ergo spiratio actiua non solum refert, sed etiam constituit principium proximè spiratiuum. Antecedens est Sancti Thomæ 1. p. quæstione quadragesima prima, articulo quarto, in corp. & ad 3. docentis, in diuinis dari potentiam ad actus notionales realiter distinctam à terminis producibilibus. Cuius ratio est, quia potentia designat principium, principium autem distinctionem importat ab eo, cuius est principium. Cum nihil possit se ipsum producere. Minor, in qua est controuersia: probatur: nam inter suppositum & potentiam productiuam hoc interest, quod suppositum non potius respicit hanc, quam illam suppositi operationem; est enim vniuersale principium omnium actionum, quas potest suppositum operari:

potentia verò respicit determinatam suppositi operationem, à qua proximè specificatur, & ad quam specificum ordinem dicit. Vnde in eodem supposito plures sunt potentia, diuersas respicientes operationes. Ergo licet paternitas & filiatio distinguant Patrem & Filium à Spiritu sancto in ratione suppositi producentis, non tamen distinguunt illos in ratione principij proximè spiratiui. Consequentia patet, nam principium proximè spiratiuum constituitur per proprietatem proximè ordinatam ad terminum spirabilem; hæc autem non est paternitas, quæ proximè tantum respicit terminum generabilem, sicut filiatio principium proximè generatiuum.

75. Confirmatur, nam hæc sententia melius saluat Concilia & Patres affirmantes, Patrem & filium esse vnicum principium Spiritus sancti per vnicam spirationem, ut definit Concilium Florentinum: nam hæc sententia non modò saluat vnitatem principij remoti & essentialis, de quo non poterat esse difficultas; sed etiam proximam, & notionalem, de quo tantum poterat dubitari.

76. Ex dictis sequitur primò, Spirationem actiuam immediatè recipi in Patre & Filio iam constitutis in ratione personæ. Ratio est, quia potentia producendi supponit personam constitutam, Spiratio autem actiua est potentia Patris & Filij producendi Spiritum sanctum: igitur supponit illos constitutos in ratione personæ. Antecedens probatur, nam omne principium productiuum extra se supponit principium operationis perfectè constitutum in se.

77. Sequitur secundò, Spirationem actiuam concipiendam esse prius in Patre, quam in Filio: nam Filius habet illam à Patre media generatione; igitur ante generationem supponenda est in Patre; in quo tamen posterius ratione concipienda est, quam potentia generatiua, non tamen post actum generandi. Primum patet, quia potentia generatiua constituitur per actum intelligendi, spiratiua verò per actum volendi. Secundum constat, quia generatio est via, quâ Pater communicat Filio cum ipsa natura diuina potentiam spiratiuam, sed prius, quam illam communicet Filio, supponitur habere in se ipso: ergo. In Filio verò prius ratione concipienda est potentia Spiratiua, quam referatur ad Patrem, quia relatio ad correlationem supponit subiectum perfectè constitutum in se.

78. Sequitur tertio, Spirationem actiuam non esse accidens metaphysicum in Deo, cum constituat personas proximè fecundas & potentes ad spirandum: quæ fecunditas, cum sit essentialis Deo, non minus, quam fecunditas ad generandum, nequit spiratio actiua, quæ huiusmodi fecunditatem proximè constituit, esse accidens; cum non sit extra omnem constitutionem Deitatis.

Concilium
Florentinum.

S. Thomas.

79. Sequitur quartò. Dari in Deo constitutum ex actu volendi & spiratione actiua, ratione tantum distinctum à Patre & Filio, à quo, non vt à supposito, sed vt à principio proximè spiratio procedit Spiritus sanctus. Legendus est Molina supra citatus.

Molina.

80. Ad Fundamentum primæ sententiæ, patet ex tertio corollario, ad confirmationem distingo maiorem: est minoris efficaciam in constituendo suppositum, concedo; quia cum sit proprietas communis, nequit constituere suppositum ex natura sua incommunicabile. Est minoris efficaciam, hoc est minoris perfectionis, nego. Nam vtræque est in suo genere infinita, vna in constituendo proximum principium spiratum, altera in constituendo suppositum incommunicabile.

81. Ad primum argumentum secundæ sententiæ dic, solum probare, quod idem suppositum, quod amat, simul intelligit: nec posse amare, quin simul intelligat: non autem quod per eandem proximam potentiam, qua amat, simul intelligat, aut econuerso: vt constat in humanis, in quibus idem suppositum, quod amat, intelligit, non tamen per eandem potentiam, quâ amat, simul intelligit. Concedo igitur antecedens de identitate suppositi: nego autem de identitate potentiam, & proximi principij Quo. Nam alia proprietate constituitur potentia generatiua Patris, alia potentia spiratiua Patris & Filij.

82. Ad secundum nego, relationem in diuinis requiri tantum vt conditionem distinguentem personam producentem à producta, sed etiam vt rationem formalem constituentem proximum principium producendi, illudque proximè distinguendi à termino producibili. Vnde concedo minorem de distinctione personæ spirantis, vt Quod; nego de distinctione principij proximè spiratiui vt Quo. Ad confirmationem dico, eam solum probare de supposito productiuo vt Quod, non de potentia proximè productiua vt Quo.

SECTIO IV.

An relationes diuinæ distinguantur ex natura rei ab essentia?

83. PRIMA sententia est Scoti in primo distinctione secunda, quæstione vltima, §. sed id constat, Ochami quæstione prima, in decisione quæstionis & distinctione trigesima, quæstione quarta, Durandi distinctione trigesima tertia, quæstione prima, & distinctione trigesima quarta, quæstione secunda, Mayroni distinctione secunda, quæstione decima tertia, §. ideo, Marsilij quæstione sexta, articulo secundo, Gabrielis

Scotus.
Ochamus.
Durandus.
Mayronus.
Marsilius.
Gabriel.

distinctione secunda, quæstione prima, articulo tertio, dubio tertio affirmantium. Probatur primò, quia impossibile est de eodem à parte rei existente contradictoria verificari. Atqui de essentia diuina verificatur, quod sit communicabilis, de relatione verò, quod sit incommunicabilis: de eadem essentia verificatur, quod non producat, nec producat; de relatione verò siue persona verificatur, quod producat, & producat: de essentia verificatur, quod nec referat, nec referatur: de relatione verò, quod & referat, & referatur. Ergo impossibile est, quod essentia & relatio sint idem à parte rei. Secundò, si relationes non distinguantur ab essentia, neque etiam distinguantur inter se: nam quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem & inter se.

84. SECUNDA sententia est Sancti Thomæ 1. p. q. 28. art. 2. Syluij ibid. & reliquorum Scholasticorum negantium, omnem distinctionem ex natura rei inter relationem & essentiam, quin multi suspectam, & in fide parum tutam censent opinionem Scoti. Legatur Molina 1. p. quæst. præcit. disput. 2.

S. Thomas.
Syluius.

Scotus.
Molina.

85. Dico primò. Relationes Diuinæ nullo pacto ex natura rei distinguuntur ab essentia. Assertio colligitur primò ex Concilio Rhemenfi sub Eugenio tertio, vbi contra Gilbertum definitur, relationes & essentiam non esse ratione Theologica distinguendas. Erat autem ratio Theologica in sententia Gilberti, ratio distinctionis ex natura rei, prout ratio Theologica opponitur rationi mathematicæ, quæ est sola distinctio per intellectum.

Concilium
Rhemense
Gilbertus.

86. Secundò eadem veritas asseritur in Concilio Florentino sess. vltima in quadam confessione fidei à Latinis ad Græcos missa, vbi sic habetur: Porro autem, ne identitatem coniunctionemque diuinæ substantiæ distribuere, ac ipsam substantiam re ipsa, non autem solam rationem ab hypostasibus & personis differre, credere videamur. Et sess. 19. paulò ante medium: Ne tamen, inquit, re differre hoc putetis, sed apprehensione tantum & intelligentia. Sermo autem erat de hypostasi & natura, num re, vel ratione inter se differrent. Et in eadem sessione prope finem: Persona, inquit, Patris non distinguitur à Paternitate, aut à substantia, nisi ratione.

Concilium
Florentinum.

87. Terriò probatur ratione. Nam Deo concedenda est summa simplicitas: sed hæc cum actuali distinctione relationum ab essentia saluari nequit. Maior definitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. vbi Deus dicitur omnino simplex: non esset autem omnino simplex, si aliquam admitteret compositionem ex natura & relationibus: siquidem omnimoda simplicitas omnem excludit compositionem. Nec satisfaciunt Scotus & Durandus aientes, nullam ex tali distinctione compositionem resultare. Nam, cum compositio nil aliud sit, quàm distinctorum vnio, si inter essentiam & relationes esset actualis distinctio, esset vera & realis compositio. Nam saltem

Concilium
Lateranense.

Scotus.
Durandus.

tem